

fudando. Certum cafae locum corticibus includunt, ac tegunt pellibus, ne qua poffit aer afpirare. Intro congerunt lapides deuftos & igne multo faturos. Subeunt nudi & brachia cantitantes jaçant. Sed, quod mireris, ab his thermis egreffi & fudore diffuentes, hyeme perfrigida, in lacum aut amnem fe conjiciunt, de pleuritide securi.

Mortuorum cadavera nunquam efferunt per cafae januam, fed per eam partem, in quam converfus eger exfpiravit. Animam putant evolare per camini fpiraculum; ac ne moras trahat, cafae priftinae defiderio, neu puerulorum aliquem difcedens afflet, hoc afflatu videlicet moriturum, ut putant; crebro fufte tundunt parietes tugurii, ut eam citius exire compellant. Immortalem effe arbitrantur. Ne porro emoriatur fame, magnam vim ciborum infodiunt cum corpore; veftes, item, ollas, variamque fupellectilem, magno fumptu, & multorum annorum labore conquifitam, ut iis utatur, inquirunt, ac decentius verfetur in regno mortuorum. Sepulcra nobilium exftant paulum ab humo: iis perticas in morem pyramidis compactas imponunt: arcum addunt, fagittas, clypeum, & alia militiae decora: feminarum vero tumulis, torques & monilia. Infantium corpora fepeliunt propter viam, ut eorum anima, quam ab ipforum corporibus abire longius non putant, illabatur in praetereuntis alicujus feminae finem, & adhuc informem animare fetum poffit. In luctu vultum inficiunt fuligine. Moniti de funere affines, vicini, & amici concurrunt in funeftum tu-